

## Die Urkunden Karls des Großen, 179

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Karolus serenissimus gratia dei rex Francorum et Langobardorum ac patricius Romanorum notum sit omnibus episcopis abbatibus ducibus comitibus vel cunctis fidelibus nostris tam presentibus quamque futuris. Rectum est, [ut] regalis potestas illis tuitionem impertiat, quorum necessitas comprobatur. [Igitur cognoscat magnitudo seu utilitas vestra], qualiter Iohanne ad nos veniente et ostendit nobis epistola, que dilectus filius noster Ludovicus ei fecerat et per ipsum ad nos direxit. Et invenimus in ipsa epistola insertum, quod Iohannes ipse super ereticos sive Saracenos infideles nostros magnum certamen certavit in pago Barchinonense, ubi superavit eos in locum, ubi dicitur Ad Ponte, et occidit de iam dictos infideles et cepit de ipsis spolia; aliquid exinde dilecto filio nostro obtulit, equum optimum et brunia optima et spata India cum techa de argento parata, et petierat ei in pago Narbonense villare erenum ad laborandum que dicunt Fontes; ille vero dedit ei ipsum villare et direxit eum ad nos. Et cum ad nos venisset cum ipsa epistola, quod filius noster ei fecerat, in manibus nostris se commendavit et petivit nobis iam dictus fidelis noster Iohannes, ut ipsum villarem, quod filius noster ei dederat, concedere fecisset. Nos vero concedimus ei ipsum villarem cum omnes suos terminos vel pertinencias suas ab integro et quantum ille cum homines suos in villa Fonteioncosa occupavit vel occupaverit vel de heremo traxerit vel infra suo termino vel in aliis locis vel villis seu villares occupaverit vel aprisione fecerit cum homines suos. Hec omnia concedimus ei per nostram donationem, ut habeat ille et posteritas sua absque ullum censem aut inquietudine, dum nos aut filii nostri fideles extiterint. Et ut haec auctoritas firmior habeatur, de anulo nostro subter sigillavimus.

(C.) Gilabertus advicem Radoni recognovit et scripsit.

Data in mense marcio anno XXV et XVIII regni nostri; actum Aquisgrani palatio nostro; in dei nomine feliciter amen.